BERNARDUS CLARAVALLENSIS. NICOLAUS CLARAVALLENSIS. OGLERIUS DE LOCEDIO
Heiligenkreuz (?), Wende 13./14. Jh. (?) Seite 59r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift





petre scindunt, et tota contremiscat orbita mundi. Ubi sic
mater plorat et eius dilectus Johannes. Potius dies ille fuit luctus
quam risus et etiam secundus et tertius. Sed iudeis leticia. Et et coa
postolus tuus tristicia. Iudeorum autem leticia. uertitur in luctum. tristi
cia apostolorum. uersa est in gaudium. Sequitur. Sciens ihesus quia ue
nit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem. Ihesus ebrayce latine
saluator interpretatur. Ipse est saluator ille fortissimus qui ultius
uinci non potest. et qui saluat omnes sperantes in se. Semel parte christia
ne uictus est. immo mortuus est. sed noli flere. quia surrexit a mortuis.
et mors illi ultra non dominabitur. Oportebat illum mori pro salute nostra.
et resurgere a mortuis tercia die. et predicari in nomine eius penitentiam et
remissionem peccatorum. per omnes gentes. quomodo sic ille disposuerat. Et
hoc est quod dicitur. Sciens ihesus. quia uenit hora eius. Hec est illa hora. de qua
superius timens secundum carnem. ingemuit. et ait. Nunc anima mea turbata
est. et quid dicam. pater sanctifica me. ex hora hac. sed propterea ueni in
horam hanc. Timuit xpc mori. ut tu non timeas mori. confidens
in eum. qui suscitauit ihesum a mortuis tercia die. In illum siquidem tantum
qui suscitauit ihesum a mortuis. est confidendum. Ecce christiane. ne de hac infir
mitate desperes. docuit xpc. quid tunc. et in omnibus periculis mortis. de
beas dicere. ad quem confugere. quem inuocare. in quem debeas sperare. In de
um patrem. qui non potest despicere sperantes in se. cum attestatione bonorum
operum dico. quia si non in eternis aliquid speres. spes tua non spes. sed pre
sumptio debet dici. Tu itaque talia fac opera tua. ut ei in hora
mortis in ueritate dicere possis. In te speraui domine. non confundar in eter
num. Hanc horam prescivit. hanc elegit. ut in ea per mortem de mundo ex
iret. et transiret ad patrem secundum humanitatem. a quo nunquam recessit secundum
diuinitatem. Illa hora est finis ille. de quo dicitur. Cum dilexisset
suos. qui erant in mundo. in finem dilexit eos. Cum dilexisset suos